

The Electronic *Compendium moralium notabilium* Project  
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/CMN/index.html>)

*Compendium moralium notabilium* (from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 3, Liber 5: De prudentia taciturnitatis sub his titulis.

De taciturnitate et loquacitate: Rubrica 1

Iob hystoria capitulo 2. Conceptum sermonem retinere quis possit.

Psalmistae psalmo 161. Oratio dauid: Pone domine custodiam ori meo: et hostium circumstantie labiis meis.

Salomon in prouerbiis capitulo 10. In multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderabitur labia sua prudentissimus est. 13. capitulo. Qui custodit os suum custodit animam suam. Qui autem inconsideratus est ad loquendum sentiet mala. 17. capitulo. Stultus quoque si tacuerit sapiens reputabitur. 18. capitulo. Os stulti atritio eius. 21. capitulo. Qui custodit os suum et linguam suam ab angustiis animam suam. 25. capitulo. Sicut vrbs patens et absque murorum habitu: ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. 29. capitulo. Totum spiritum profert stultus. Sapiens differt et reseruat in posterum. Idem in ecclesiastico capitulo 5. In multis sermonibus inuenitur stultitia. 10. capitulo. Stultus verba multiplicat.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 4 scilicet de chitone. Chilo lacedemoniis qui fuit vnus de septem sapientibus videbat dominari lingue: et presertim in conuiuio. 7. capitulo scilicet de cleobolo. Cleobolus vnus de septem sapientibus consulebat: diligere magis audire quam loqui. Idem cleobolus ait. In conciuuitas pro maiori parte hominibus verborum multitudo.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 9. Terribilis est in ciuitate sua homo linguosus. 19. capitulo. Qui odit loquacitatem extinguit malitiam. 20. capitulo. Est tacens qui inuenitur sapiens. Odibilis est qui procax est ad loquendum. Qui vtitur multis verbis ledit animam suam. 21. capitulo. Tacitus et sensatus honorabitur. 28. capitulo. Ori tuo facito hostia: et seras auribus tuis. 32. capitulo. Audi tacens: et pro reuerentia accedet tibi bona gratia. Adolescens loquere in tua causa. vix in multis: esto quasi inscius: et audi tacens simul et querens. Ubi sunt senes non multum loquaris.

Quintillianus declamationum libro 17. et finali declamatione. Ex omnibus quibus humana pectora senis grauioribusque complectuntur affectibus: nullam difficiliorem quam silentii credo virtutem. Promptissimo sermone deliquimus facile.

Iacobus apostolus epistola i. capitulo i. Sit omnis homo velox ad audiendum: tardus autem ad loquendum et tardus ad iram.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 5. capitulo 11. et finali. Tardiloquum esse te iubeo. Idem declamationum seu ciuilibus causarum libro 3. capitulo 8. Impari dolori silentium non potest. Idem de moribus. In hoc incumbere vt libentius audias quam loquaris. Auribus frequentius vtere quam

Commented [CN1]: fol.74vb

lingua. Qui nescit tacere nescit loqui. Idem in prouerbiis. Loquax inimicus minus quam taciturnus offendit.

Martialis cocus libri vndique suscepto capitulo 2. Pauca loqui moneo: sed non omnino silere.

Auctor libri de formula honeste vite capitulo 4. Rari sermonis esto: sed loquatium patiens.

Ambrosius de officiis libro i. capitulo 2. Carum est tacere quemquam cum sibi loqui nihil prosit.

Macrobius saturnaliorum libro 3. in prohemio: Solet cibus cum sumitur tacitos efficere: potus loquaces. Philosophus: non minus pro tempore tacendo quam loquendo philosophatur. 43. questione seu probleumate. Sacius est alienis abstinere quam minus non proferre.

Cato capitulo 2. Uirtutem primam puto compescere linguam. Proximus ille deo qui scit ratione tacere.

Boetius de consolatione libro 2. capitulo 13. Cum quidam adorsus esset quendam hominem contumeliis qui non ad vere virtutis vsum: sed ad superbiam gloriam: falsum sibi philosophi nomen induerat adiecissetque sciturum an ille philosophus esset: si quidem illatas iniurias leuiter patienterque tollerasset: ille patientiam paulisper assumpsit: acceptaque contumelia velut insultans iam tandem inquit: Intelligis me esse philosophum. Tum ille nimium mordaciter: Intellexeram inquit: si tacuisses.

Cassiodorus epistolarum libro 10. epistola 4. Hec est regalis proculdubio virtus celerius necessaria sentire: et tardius in verba prorumpere.

Gregorius in pastoralis capitulo 39. Plerunque nimis taciti cum nonnulla iniusta patiuntur eo in acriorem dolorem prouident quo ea que sustinent non loquuntur. Qui linguam non refrenat concordiam dissipat.

Isydorus soliloquiorum libro 2. capitulo 31. Sint verba tua pauca. Tolle verborum sermonis superflui. Multiloquium non effugiet culpam. Linguosus homo imperitus est. Sapiens vero paucis vtitur verbis. Breuem sermonem scientia facit. Loqui multum stultitia est. 43. capitulo. Plus diligit audire quam docere.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 2. Pauca loquendum qui vult urbanus haberi. Nec prorsus taceat: sed meditata ferat.

Mattheus vindocinensis in poetria particula 2. Lingua loquax reticenda refert eliminat edit.

Iacobus beneuentanus capitulo 5. Lingua loquax odium parit et facit tibi litem. / Efreni lingua surgere bella solent. / Per linguam multi iam periere viri.

Auctor libri qui incipit astrolabi: Copia verborum vbi non est copia sensus. / Constat et errantem multiplicare vias. / Preualet in lingua quando est fortis in armis. / Nullus in hac pugna plus meretrice potest.

Prouerbia vulgaria. Chi tropo parla spesso falla. / Mal fauella chi non ha de bisogno.

Commented [CN2]: fol.75ra

### De temperantia locutionis et oportuno sermone: Rubrica 2

Salomon in prouerbiis capitulo 17. Qui moderatur sermones suos doctus et prudens est.

Seneca de moribus: Magna res est vocis et silentii temperamentum. Idem in prouerbiis: Tene vocis et silentii **temperamentum**.

Auctor libelli qui dicitur pamphylus capitulo 3. Nec nimium taceas: nec verba superflua dicas.

Bernardus de improbatione viciorum capitulo i. Uerba nocent aptis si non moderentur habenis. / Os quoque nec mutum: nec decet esse loquax.

Henricus samariensis libro 2. Stillet in ore fauus: sed mente resultat oliua. / Et non sit totus sensus in ore tuus.

Salomon in prouerbiis capitulo 15. Sermo oportunus est optimus. Idem in ecclesiastico capitulo 3. Tempus loquendi et tempus tacendi.

Socrates in exhortationibus capitulo 2. ad finem. Duo taxa loquendi tempora: vel que publice nosti: vel que necesse est fari. In his etenim solis sermo prestat silentio. In certis vero silere prestat quam dicere.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 20. Homo sapiens tacebit vsque ad tempus. lasciuius autem et imprudens non seruabit tempus. 22. capitulo. Musica in luctu importuna narratio. Qui narrat verbum non attendenti quasi qui excitat dormientem a graui somno. 32. capitulo. Ubi auditus non est non effundas sermonem: et importune noli extolli in sapientia tua.

Tullius de oratore libro i. Ipsum dicere nunquam est non ineptum nisi cum est necessarium.

Macrobius saturnaliorum libro 3. in prohemio. Nihil tam congruum sapientie quam locis et temporibus aptare sermones.

Isydorus in synonymis soliloquiorum libro 2. capitulo 31.

### Quando sit loquendum: Rubrica 3

Salomon in prouerbiis capitulo 15. Responsio mollis frangit iram sermo durus suscitatur furorem. 18. capitulo. Qui prius respondet quam audiat stultum esse se demonstrat: et confusione dignum. 26. capitulo. Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam: ne efficiaris ei similis. Responde stulto iuxta stultitiam suam: ne sapiens esse sibi videatur.

Aristoteles topicorum libro 8. Nisi planum sit quod dicitur: non pigritandum est dicere et non intelligere. Idem elenchorum libro 2. Nulla **eorum** que equiuoca sunt conuenit respondere simpliciter. In quibus est obscurum quod ponitur non concedendum simpliciter.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 5. Si est tibi intellectus responde proximo. Sin autem sit manus tua super os tuum: ne capiaris in verbo indisciplinato et confundaris. 11. capitulo. Priusquam audias ne respondeas verbum. 32. capitulo. Si bis interrogatus fueris habeat caput

Commented [CN3]: fol.75rb

Commented [CN4]: fol.75va

responsum tuum. In multis esto quasi inscius et audita tacens simul et querens. 41. capitulo. Erubescite a salutaribus de silentio.

Paulus apostolus in epistola i. ad corinthios capitulo 14. Quomodo dicit amen super tuam benedictionem quicquid dicas nescitur.

Lex digestorum titulo de legibus l. infrascripta. In ciuile est nisi tota lege perspecta: vna aliqua particula eius proposita iudicare: vel respondere.

Marcialis cocus libri vndique suscepto capitulo 3. Iratus irato animo respondet alanus./ Et se iactat in hoc grande nimis vicium.

Auctor libri de formula honeste vite capitulo 4. Requirenti facile responde.

Ambrosius de officiis libro i. capitulo 2. Noli respondere irato ad iracundiam eius: siue in prudenti ad imprudentiam.

Macrobius saturnaliorum libro 3. in prohemio. Qui vult esse amenus consultor ea interroget que sunt interrogato facilia responsu: et que scit illum sedula exercitatione didicisse. Gaudet enim quisquis cum prouocatur ad doctrinam suam in medium proferendam: quia nemo vult latere quod didicit: maxime si scientia quam labore acquisiuit cum paucis illa familiaris et plurimis sit incognita: vt de astronomia: vel dialectica: ceterisque similibus. tunc enim videtur consequi fructum laboris cum adipiscitur occasionem publicandi: que didicit sine ostentationis nota. qua caret qui non ingerit: sed innitatur vt proferat.

Prouerbia metrice extraordinem librorum vagantia. Sub dubio forsitan respondent sepe periti. / In respondendo nunquam celer esse memento.

#### De interrogationis et responsionis prudentia: Rubrica 4

Commented [CN5]: fol.75vb

Aristoteles ethicorum libro 3. capitulo 5. Studiosus singula iudicat recte: et in singulis verum ei apparet. Libro 4. capitulo 6. In singularibus et sensu iudicium est. Libro 4. et finali capitulo 13. et finali. Experti circa singula iudicant recte opera: et paret qualiter proficiuntur intelligunt. Idem rethoricorum libro 2. capitulo 16. Iuuenes omnia scire putant et affirmant. Senes quum multis annis vixerunt et in pluribus decepti fuerunt et plurima praua sunt negociorum non affirmant aliquid minus autem valde omnia quam oportet et putant: sciunt autem et nihil: et dubie sententiantes apponunt semper quasi et forte: et omnia dicunt ita: fixe autem nihil. 21. capitulo. Sententia est enunciatio de vniuersalibus de quibuscunque actiones sunt et eligenda aut fugienda sunt ad operari. Enunciat ille qui sententiam dicit vniuersaliter de agibilibus. Idem de generatione et corruptione libro i. Ex multorum sermonibus indocti existentes et ad pauca respicientes facile enunciant.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 2. epistola 5. Que quisque fugit damnat. Libro 15. epistola 4. Temeritas est damnare quod nesciat. Idem in prouerbiis. Ad penitendum properat qui cito iudicat. In iudicando criminosa est celeritas.

Lex digestorum titulo de actionibus empti et vendi l. iulianus §. i. Non debet quis facile asseuerare que ignorat.

Auctor libri de formula honeste vite capitulo 2. De dubiis non diffinias: sed suspensam tene sententiam. Nihil in expertum affirmes: quia non omne quod verisimile est: statim et verum est: sicut etiam sepius quod primum incredibile videtur non continuo falsum est. Oppiniones tue iudicia sint. 4. capitulo. Obserua ne in conuiuio nec in qualibet vite communitate quos imitaris damnare videaris.

Cecilius firmianus de beata vita libro 2. Sapientiam sibi adimunt qui sine vllo iudicio inuenta malorum probant: et ab aliis pecudum more ducuntur. Libro 3. Nemo de se recte potest iudicare.

Commented [CN6]: fol.76ra

Augustinus in epigramatibus prosperi epigrama 21. De oculis alieni cordis temere iudicare peccatum est. Opera cuius non videntur nisi bona iniquum est de supitione reprehendere. Eorum que homini sunt incognita: solus deus est iustus iudex qui est verus inspector.

Macrobius saturnaliorum libro 3. capitulo 33. Satius est alienis abstinere quod minus nota proferre.

Isydorus soliloquiorum libro 2. capitulo 41. Ancipitem diu delibera sententiam. Nullum iudices suspicionis arbitrio ante proba: et sic iudica. Periculosum est quempiam de suspitione iudicare. In ambiguis dei iudicio reserua sententiam.

#### De enunciatione indicatione affirmatione approbatione et reprobatione: Rubrica 5

Salomon in prouerbiis capitulo 16. Cor sapientis erudiet os eius: et labiis illius addet gratiam. 26. capitulo. Os lubricum operatur minas. 29. capitulo. Uidisti hominem velocem ad loquendum: stultitia magis speranda est quam illius correctio. Idem in ecclesiastice capitulo 5. Ne temere quid loquaris.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 4. scilicet de chilone. Chilo lacedemonius qui fuit vnus de septem sapientibus iubeat linguam non preuenire intellectum. 6. capitulo. scilicet de biante. Bias vnus de septem sapientibus: ait Ne cito loquaris inaniam enim pandit.

Socrates in exhortationibus capitulo 2. Quicquid dicturus es considera prius sententiam: plurimum enim lingua mentem peruertit.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 9. Temerarius in verbo suo odibilis erit. 14. capitulo. Beatius qui non est lapsus verbo ex ore suo. 18. capitulo. Antequam loquaris disce. 21. capitulo. Uerba prudentium statera ponderabuntur. In ore fatuorum cor illorum: et in corde sapientum os illorum. 25. capitulo. Beatus qui in lingua sua non est lapsus. 28. capitulo. Uerbis tuis facito stateram: et frenos ori tuo rectos et attende ne forte labaris in lingua ne cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi: et sit casus tuus insanabilis in morte.

Commented [CN7]: fol.76rb

Ambrosius de officiis libro i. capitulo 8. Sapiens vt loquatur multa prius considerat: quid dicat: aut cui dicat: quo in loco et tempore.

Cassiodorus epistolarum libro 5. capitulo 21. Age ne tua tibi obiiciatur oratio: quia pondus pudoris grauissimi est propria voce conuinci. Libro 10. capitulo. 4. Nescit penitenda loqui qui proferenda prius suo tradit examini.

Auctor libelli qui dicitur pamphylus capitulo 18. Uerbi principium finem quoque conspice uerbi / Ut melius possis premeditata loqui.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 2. Nec prorsus taceat: sed meditata ferat. Capitulo 4. Mente diu teneat quod putat ipse loqui.

Matheus vindocinensis particula i. capitulo 1. Diuturnitas silentii nutrimentum est uerbi: et male comministrat impetus.

Auctor libelli qui incipit astrolabi: Prouidet ante diu quid recte dicere possit / Uir sapiens. stultus immeditata profert.

Prouerbia metrica extraordinem librorum vagantia. Qui bene uult fari bene debet premeditari.

#### De premeditatione et temeritate locutionis: Rubrica 6

Salomon in ecclesiastice capitulo 10. In cogitatione tua regi ne detrahas: et in secreto cubiculum ne maledixeris diuiti: quia et aues celi portabunt uocem tuam.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 8. Coram extraneo ne facias consilium: nescis enim quid pariet.

Oratius in epistolis 19. capitulo. Quid deque quo uiro et cui dicas sepe uideto / Percunctatorem fugito: nam garrulus idem est. / Nec retinent patule commissa fideliter aures. / Et semel emissum uolat irreuocabile uerbum.

Prouerbia metrica extraordinem librorum vagantia. Prospice te circum si uis proferre sinistrum.

Prouerbia uulgaria. Chi e aprououia no diga folia. / Dreo cexa sta che rege ha. / El fante dixit alzogo quel che alde ape del foco.

Commented [CN8]: fol.76va

#### De circumscriptione prolocutionis aliene malignitatis: Rubrica 7

In leuitico capitulo 18. Ait deus ad moysen infrascriptis. Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat ut reuellet turpitudinem eius. Turpitudinem patris tui et turpitudinem matris tue non discooperies. Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies. Turpitudinem nurus tue non reuelabis. Turpitudinem uxoris fratris tui non reuelabis. Turpitudinem uxoris tue et filie eius non reuelabis.

Salomon in prouerbiis capitulo 26. Que uiderunt oculi tui ne proferas in iurgio cito: ne postea emendare non possis cum dehonestaueris amicum tuum.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 19. Sicut tibi delictum noli denudare.

Tullius in inuectiua in salustium. Sepe vidi grauius offendere animos auditorum eos qui aliena flagitia apte dixerunt quam eos qui commiserunt.

Ouidius sine titulo siue amorum libro 2. capitulo 2. Crede mihi nulla sunt crimina grata marito. Nec quemquam quamuis audiat illa inuuant. Libro 3. et finali capitulo 13. et penultimo. Non peccat quecunque potest peccasse negare. / Solaque famosam culpa professa facit. / Quis furor est que nocte latent in luce fateri? / Et qua clam facias facta referre palam.

Auctor libri de formula honeste vite capitulo 5. Nisi honesta causa est iustus secreta non pandit: tacenda enim tacet. loquenda loquitur: atque ita illi alta pax est et secunda tranquillitas.

Cato capitulo 3. Quod pudeat socios prudens celare memento. Capitulo 4. Productus testis salua tamen ante pudorem. / Quantumcunque potes celare crimen amici.

Gregorius in pastoralibus capitulo 56. Plerumque culpa dum absconditur effugatur: quia dum mens erubescit videri quod tamen esse non metuit: erubescit quandoque esse quod fugit videri.

Commented [CN9]: fol.76vb

Isidorus in synonyma soliloquiorum libro 2. capitulo 43. Operta paucis denuncia.

Auctor libelli qui incipit astrolabi. Nolo virum doceas vxoris crimen amare. / Quod sciri potius quam fieri grauat. hunc / Opprobriis aurem propriis dat nemo libenter / Nec te nec quemquam talia scire volet.

Montenarius in luna cleri capitulo penultimo. Diligitur tector scelerum. / Qui conspicit audit: Et reticet: cum pace potest ducere vitam.

Prouerbia vulgaria. Chi alde ve e taxe po viuere en pace.

#### De tacendis et celandis propriis et alienis criminibus: Rubrica 8

Salomon in prouerbiis capitulo 11. Qui ambulat fraudulenter reuelat archana. qui autem fidelis est celat amici commissa. 20. capitulo. Si qui reuelat mysteria et ambulat fraudulenter et dilatat anima sua ne commiscearis. 25. capitulo. Secretum extraneo ne reueles. 31. capitulo et finali. Nullum secretum est vbi regnat ebrietas.

Micheas propheta capitulo 7. et finali. Ab ea que dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui.

Socrates in exhortationibus capitulo 2. Serua mage verborum quam rerum deposita. / De ineffabilibus nulli dicas.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 27. Qui denudat archana amici fidem perdit: et non inueniet amicum ad animum suum. Denudare amici mysteria desperatio est animae infelicis.

Oratius in epistolis 5. capitulo. Que non ebrietas designat operta recludit. Idem in sermonibus libro sermone 4. Qui non iussa potest commissa tacere. / Qui nequit. hic miser est. hunc tu romane cauet. Libro 2. sermone 8. et finali. Res / Aduerse nudare solent: celare secunde.

Ouidius sine titulo seu amorum libro 2. capitulo 2. Consciis assiduos commissi tollet honores / **Quis** minor est autem quam tacuisse labor. Idem de arte amandi libro 2. Eximia est virtus prestare silentia rebus / At contra grauis est culpa tacenda loqui.

Commented [CN10]: fol.77ra

Quintilianus declamationum 17. et finali declamatione. Obserua sermones: secreta custodi.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 8. capitulo 1. et penultimo. Hos mores habet populus: hos imperitissimus quisque in secreta irrumpere cupit. Libro 18. capitulo 5. Habet vnusquisque aliquem cui tantum credat quantum ipsi creditum est: vt garrulitatem suam custodiat: et contentus sic vnus auribus populum faciat. Idem de moribus. Quod tacitum esse velis nemini dixeris. Sed tibi ipsi non imperasti: quomodo ab alio silentium speras? Quid dulcius quam habere amicum cum quo omnia sicut tecum audeas loqui. Idem tragediarum in hypolito 9. capitulo. Alium silere quod voles prius sile.

Uegetius de re militari libro 3. titulo 36. et finali. Nulla consilia sunt meliora quam illa que ignorauerit aduersarius tuus antequam facias. Cum consilium tuum cognouerit aduersarius proditum dispositionem mutare te conuenit. Quid fieri debeat tractato cum multis. Quod vero facturus sis cum paucissimus: vel potius ipse tecum.

Cato capitulo 3. Consilium archanum tacito committe fideli.

Isydorus soliloquiorum libro 2. capitulo 43. Communia omnibus: secreta perfectioribus loquere. Aperta cunctis: operata paucis denuncia.

Mattheus vindocinensis in poetria particula 2. et finali capitulo 4. Lingua loquax reticenda refert elimina edit.

Andreas ad galterium de amore libro 3. Secretum tuum ab omni femina custodire stude.

Iacobus beneuentanus capitulo 42. Si secretum sui cordis tibi pandit amicus: / Uxori fili ne reserato tue. / Non bene secretum mulier tenet: immo reuelat.

#### De secretis tacendis et celandis et propalatione eorum: Rubrica 9

Salomon in prouerbiis capitulo 23. In **auribus** insipientium ne loquaris: quia despicient doctrinam eloquii tui.

Commented [CN11]: fol.77rb

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 22. Qui narrat verbum non attendenti quasi qui excitat dormientem a graui somno. Cum dormiente loquitur qui narrat stulto sapientiam: et in fine narrationis dicit quis est hic. Cum stulto non multum loquaris.

Ouidius sine titulo seu amorum libro 3. capitulo 7. Quid iuuat ad surdas si cantet phyneus aures.

Mattheus in euangelio capitulo 7. Nolite sanctum dare canibus: neque mittatis margaritas vestras ante porcos ne forte conculcent eas pedibus suis: et conuersi dirumpant vos.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 4. capitulo 8. et finali. Nulli non audituro dicendum est.



Paulus apostolus epistola 2. ad timotheum capitulo 2. Noli verbis contendere. ad nihil enim vtile est nisi ad subuersionem audientium. Prophana et inaniloquia deuita.

Lex codicis titulo de donationibus l. finali. Quid verbis opus est que rerum effectus nullus sequitur.

Auctor libri de formula honeste vite capitulo 2. Sermo tuus non sit inanis: sed aut suadeat: aut moneat: aut consoletur: aut precipiat. Sermones vtilis magis quam facetos et affabiles ama rectos potius quam obsecundantes.

Macrobius saturnaliorum libro i. in prohemio. Superfluum video inter sapientes nota preferre. Libro 2. capitulo 18. Exauditior liberii: Nimium altercando veritas amittitur.

Cassiodorus epistolarum libro 2. capitulo 39. Semper gratum est de doctrina conloqui cum peritis.

Isydorus in synonyma soliloquiorum libro 2. capitulo 31. Qui ociosa verba non reprimat ad noxia cito transit. Sit sermo tuus irreprehensibilis: sit expectationi audientium vtilis.

Mattheus vindocinensis de hystoria tobie capitulo 30. Sermones sapiens fructificare facit.

#### Cum quibus sit loquendum: Rubrica 10

Cronica de nugis philosophorum capitulo 8. scilicet de periandro. Periander corinthius: vnus de septem sapientibus ait: verborum infandorum enunciationem ne facias.

Socrates in exhortationibus capitulo 2. Que nephas est agere: eadem neque fari bonum existimes.

Aristoteles polyticorum libro 7. capitulo 12. et finali. Ex dicere de facili quodcunque turpium: fit et ipsum facere turpe.

Paulus apostolus epistola i. ad corinthios capitulo 25. et penultimo. Corruptunt bonos mores fabulationes pessime vel colloquia mala.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 19. capitulo 8. Ubiunque videris orationem corruptam Placere: ibi quoque mores a recto destituisse non erit dubium. Idem de moribus. Turpia ne dixeris. paulatim enim pudor rerum per verba dediscitur.

Maximianus: Contractata diu crimina crimen habent.

Auctor libri de formula honeste vite capitulo 3. A verbis turpibus abstineto: quia licentia eorum impudentiam nutrit.

Isydorus soliloquiorum libro 2. capitulo 31. Facile agitur quod libenter auditur.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 2. Maxima rusticitas turpia verba loqui.

Montanarius in luna cleri capitulo 16. Turpia sinceris corrumpunt famina mores.

Commented [CN12]: fol.77va

### De vaniloquio et multiloquio: Rubrica 11

Salomon in prouerbiis capitulo 15. Responsio molis frangit iram: sermo durus suscitatur furorem. Lingua placabilis lignum vite. 16. capitulo. Qui sapiens corde est appellabitur prudens: et qui dulcis eloquio maiora percipiet. 17. capitulo. Cum obsecrationibus loquitur pauper: et diues effabitur rigide.

Socrates in exhortationibus capitulo 2. Esto quidem modo suavis: verbo vero facetus. Est autem suauitas quidem salutare occurrentes. facetie vero alloqui eos lepidibus verbis.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 5. Prosequatur te verbum pacis et iustitie. Capitulo 6. Uerbum dulce multiplicat amicos: et mitigat inimicos. Lingua gratiosa in bono homine abundat.

Ouidius de arte amandi libro 2. Asperitas odium seuaque bella mouet.

Paulus apostolus epistola ad romanos capitulo 12. Benedicite: et nolite maledicere.

Cato capitulo i. Saluta libenter. Blandus esto.

Uersificator fabularum esopi 38. fabula. Dulcia pro dulci pro turpi turpia reddi / Uerba solent: odium lingua fidemque parit.

Bernardus in libro de probatione viciorum capitulo 3. Gratus vir: lingua cuique placere solet.

Henricus samariensis libro 2. Stillet in ore fauus: sed mente resultet oliua. / Et non sit totus sensus in ore tuus. / Factaque si desint: non desint verba benigna. / Nam multos caros mellea lingua parit.

Gaufridus in poetria capitulo 108. Mors et vita coherent / In manibus lingue.

Ricardus iudex venusinus libri de pertractatione nuptiarum capitulo i. Pacem sermo bonus gignit: et gaudia mestis / Cordibus infundit: tristitiamque leuat. / Ignis aqua: verbisque bonis extinguitur ira. / Sermo bonus quandoque magis quam facta perorant. / Nil sermone bono gratius esse solet.

### De locutione et auditione inhonestarum actionum et benigna ac placabili locutione: Rubrica 12

Psalmistia 31. psalmo. Quorum os maledictione et amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. 33. psalmo. Quis est homo que vult vitam: diligit dies videre bonos: prohibe linguam tuam a malo: et labia tua ne loquantur dolum. 111. psalmo. Ab auditione mala non timebit iustus. 160. psalmo. Uir linguosus non dirigetur in terram.

### De aspera vel rigida et de verbis malignis ac conuiciis: Rubrica 13

Salomon in prouerbiis capitulo 10. Qui profert contumeliam insipiens est. 14. capitulo. Labia iusti considerant placita: et os impiorum peruersa. 15. capitulo. Os impiorum redundat malis. 16. capitulo. In labiis impij ignis ardescit. 17. capitulo. Malus obedit lingue inique.

Commented [CN13]: fol.77vb

Commented [CN14]: fol.78ra

Socrates in exhortationibus capitulo 2. Uerbum cum acrimonia non acceptes.

Aristoteles ethicorum libro 4. capitulo 9. Conuicium contumelia quedam est.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 3. scilicet de solone. Solon qui fuit vnus de septem sapientibus ait: Ne mala loquaris. 4. capitulo scilicet de chilone: Chilo lacedemonius: qui fuit vnus de septem sapientibus iubeat non esse maledicendum proximis: alioquin audire quibus quis tristetur.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 2. Ue labiis scelestibus. 9. capitulo. Terribilis est in ciuitate sua homo linguosus. Temerarius in verbo suo odibilis erit. 21. capitulo. Obiurgatio et iniurie annullabunt subsistentia. 22. capitulo. Qui conuiciatur amico dissoluit amicitiam. Ante ignem camini vapor et fumus ignis inaltabitur: sic ante sanguinem maledicam et contumelie et mine. 22. capitulo. Homo assuetus in verbis improperii in omnibus diebus suis non erudietur. 27. capitulo. Narratio peccantium odiosa: et vsus eorum in deliciis peccati.

Mattheus in euangelio capitulo 12. Ex abundantia cordis os loquitur. Idem dicit lucas in euangelio capitulo 6.

Iacobus apostolus epistola i. capitulo 3. Lingua modicum quod est membrum et magna exaltat. Lingua ignis est vniuersitas iniquitatis. Linguam nullus hominum domare potest: inquietum malum plena veneno mortifera.

Petrus apostolus epistola i. capitulo 2. Qui vult vitam diligere et videre dies bonos coherceat linguam suam a malo: et labia sua ne loquantur dolum: declinet a malo et faciat bonum: inquirat pacem et sequatur eam.

Paulus apostolus epistola ad phylippenses capitulo 2. Omnia facite sine murmuratione. Idem in epistola ad ephesios capitulo 3. Omnis sermo malus de ore vestro non procedat.

Seneca in prouerbiis. De inimico non loquaris malum: sed cogites.

Lex codicis titulo de postulando l. quisquis. Si quis adeo procax fuerit vt non ratione: sed probris putet esse certandum: opinionis sue minutionem patietur.

Ualerius maximus libro 8. titulo infames rei etc. Quintus flauius a c. valerio edili apud populum reus actus cum quatuordecim tribuum suffragiis damnatus esset: proclamauit se innocentem opprimi. Cui valerius respondit: nihil sua interesse nocens ne an noxius periret dum modo periret. Qua violentia dicti reliquas tribus aduersario donauit. Abiecerat inimicum: eundem dum pro certo pessundatum credidit erexit: victoriamque: in ipsa victoria perdidit.

Cato capitulo i. Maledicus ne esto. Capitulo 3. Litis preterite noli maledicta referri / Post inimicitias iram meminisse malorum est.

Cassiodorus epistolarum libro i. capitulo 30. Conuicia nec gaudium pariunt nec de letitia procreantur.

Uersificator fabularum esopi 38. fabula. Dulcia pro dulci pro turpi turpia reddi / Uerba solent: odium lingua fidemque parit.

Commented [CN15]: fol.78rb

Iohannes solobriensis in policratone libro 12. Antigoninus rex teocritum reum de quo iurauerat quod ei parsurus esset: occidit propter sconia ab eodem de se dictum. Cum enim quasi puniendus ad antigonum raperetur: solantibus cum amicis ac spem pollicentibus quod omnino clementia regis experturus esset cum ad oculos eius venisset: Respondit. ergo impossibilem mihi dicitis spem salutis. erat autem antigonus vno orbatus oculo. Et in portuna vrbanitas maledicum luce priuauit.

Iacobus beneuentanus capitulo 35. Lis sole: ex verbis surgere sepe malis.

Commented [CN16]: fol.78va

Ricardus iudex venusinus libri de pertractatione nuptiarum capitulo 9. Sermo quidem prauos homines accendit adiri / Letitia trahat: iurgia magna mouet. / Mores quippe bonos sermo corrumpit iniquus / Soluit ad accensas arma cruenta parat. / Discordare facit: concordans scandala gignit / Sermo magis prauus quam mala facta nocet.

Prouerbia vulgaria. La lingua no a osso: mela speza el dosso / Chi mal dise mal alde.

#### De minis: Rubrica 14

Salomon in prouerbiis capitulo 12. Fatuus statim vindicat iram suam. Qui autem dissimulat iniuriam calidus est.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 8. scilicet de chylone. Chylo lacedemoniis. qui fuit vnus de septem sapientibus iubebat non esse minandum cuique. Muliebre namque.

Oratius in poetria. Nec semper feriet quicumque minabitur arcus.

Seneca tragediarum in medea capitulo 3. Iraque tegitur nocet. Idem in prouerbiis. Loquax inimicus minus quam taciturnus offendit.

Cassiodorus epistolarum libro 4. capitulo 49. Plerunque denunciata comminatio plus efficit quam pena componat.

Gregorius in pastoralis capitulo 39. Plerunque nimis taciti cum nonnulla iniusta patiuntur: eo in acriorem dolorem prodeunt quo ea qui sustinent non loquuntur.

Uersificator fabularum esopi 26. fabula. Sepe minus faciunt homines qui magna minantur.

Baldo 9. fabula. Uis metuenda parum: vox est vbi multa minarum.

Henricus samariensis libro 2. Dicta minus sint: facta magis: sis parcus in minis. / Parcus in obprobriis largus ad omne decus.

Prouerbia vulgaria. Manace non e lance.